

explorent iter, aut praesidium loco dejiciant. Nemo eorum qui exeunt, dicit: «Male de me imperator meruit,» sed: «Bene judicavit.» Idem dicant quicumque jubentur pati timidis ignavisque flebilis: digni visi sumus Deo, in quibus experiretur, quantum humana natura posset pati. Fugite delicias; fugite enervatam felicitatem, qua animi permadescunt, nisi aliquid intervenit, quod humanae sortis admoneat, velut perpetua ebrietate sopiti. Quem specularia semper ab adflatu vindicant, cujus pedes inter fomenta subinde mutata tepuerunt, cujus coenationes subditus et parietibus circumfusus calor temperavit, hunc lenis aura non sine periculo stringet. Quum omnia, quae excesserunt modum, noceant, periculosissima felicitatis intemperantia est. Movet cerebrum, in vanas mentes imagines evocat, multum inter falsum ac verum mediae caliginis fundit. Quid ni satius sit perpetuam infelicitatem, quae advocat ad virtutem, sustinere, quam infinitis atque immodicis bonis rumpi? Levior jejunio mors est: cruditate dissiliunt. Hanc itaque rationem dii sequuntur in bonis viris, quam in discipulis suis praeceptores: qui plus laboris ab his exigunt, in quibus certior spes est. Numquid tu invisos esse Lacedaemoniis liberos suos credis, quorum experiuntur indolem publice verberibus admotis? Ipsi illos patres adhortantur, ut ictus flagellorum fortiter perferant, et laceros ac semianimes rogant, perseverent vulnera praebere vulneribus. Quid mirum, si dure generosos spiritus Deus tentat? Nunquam virtutis molle documentum est. Verberat nos et lacerat fortuna? Patiamur. Non est saevitia: certamen est; quo saepius adierimus, fortiores erimus. Solidissima pars est corporis, quam frequens usus agitavit. Praebendi fortunae sumus, ut contra ipsam ab ipsa duremur. Paulatim nos sibi pares faciat: contemptum periculorum assiduitas periclitandi dabit. Sic sunt nauticis corpora ferendo mari dura: agricolis manus tritae, ad excutienda tela militares lacerti valent: agilia sunt membra cursoribus.